UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Novissima Polyanthea, In Libros XX. Dispertita

Dominicus

Francofurti, 1613

Rhetorica

urn:nbn:de:hbz:466:1-97211

Visual Library

Priuatis haberi, quam intra vnum clauſtrum reſeruari. Bonus princeps, qui magis à ſuis diligitur quam timetur, habet quidquid ciues poſſident.

Theodoſius iunior tam admirabili fuit ingenii lenitate, vt quum ab amicis rogaretur, quamobrem neminem eorum, à quibus lædebatur, ſupplicio capitis afficeret? Vtinam, inquit, mihi liceret & mortuos ad vitam reuocare. Ad priuatos oportet principem eſſe facilem ad ignoſcendum: in iis, qui lædunt Rempublicam, decet eſſe ſeuerum. *Eraſ. li. 8. apoph.*

Vopiſcus in diuo Aurelio refert apophthegma ſcurræ cuiuſdam, qui dixerat: In vno annulo bonos principes omnes ſculpi poſſe. Sentiens, eſſe magnum imperatorum numerum, ſed in his perpaucos bonos.

Adrianus Cæſar in colloquiis etiam humillimorum mire ciuilis erat, eoſque deteſtari ſolebat, qui hanc humilitatis voluptatem ipſi inuiderent hoc prætextu, quod dicerent, principis maieſtatem vbique ſeruandam. *Eraſ. li. 6. apoph.*

Adrianus Cæſar Commodum Ælium Verum iterum Conſulem fecerat, eumque imperio deſtinauerat: Quem quum cerneret nec corpore, nec animo ſatis validum, dicere ſolebat: In caducum parietem nos inclinauimus, ac perdidimus quater millies H. S. quod populo ac militibus pro adoptione dedimus.

Idem dicere conſueuerat, ſibi moleſtum eſſe, ſi quem videret triſtem, cum tamen omnes doctos quæſtiunculis vexaret, ſed vexatos donauit aliquo munere.

Illum tranſeuntem mulier quædam appellauit, Audi me Cæſar. Is cum reſpondiſſet: Non eſt otium. Illa clamauit: Noli ergo imperare. Ad hanc vocem reſtitit, & audiuit mulierem. *Eraſm. lib. 6. apophtheg.*

Rex quidam, cuius nomen ſupprimitur, nominari alioquin dignisſimus, cum ipſi porrigeretur diadema, tenuit aliquamdiu manu, dixitque: O nobilem magis quam felicem pannum! quem ſi quis penitus cognoſcat, quam multis periculis, ſollicitudinibus ac miſeriis ſit refertus, ne humi quidem iacentem tollere dignetur. *idem lib. 6. apoph.*

¶ HIEROGLYPHICA.

Ægyptii Regem hominem per *Elephanti* ſimulachrum intelligebant: non ea tantum de cauſa, quod cum gregatim ſemper ingrediantur, is qui maximus eſt natu, gregem ducit, quod in regibus eligendis multarum nationum ac gentium mos fuit, &c. *Pier. Val. li. 2. p. 15. B.*

Hominem Ægyptii ampliori aliqua dignitate tituloque honeſtatum, qui tamen nulla vel maieſtatis, vel decori ratione habita, viliſſima quæque ſectaretur, ſordeſq; omnes perſcrutaretur, ſignificare ſi vellent, hieroglyphicum *Elephanti qui mures venaretur* proponebant: indignus quidem tam vaſta mole labor. *Pier. Val. l. 2. 17. B.*

Si vero *Regem optimum* ſignificare procuraſſent: *Anguem* vtique in orbem collectum effingebant, cauda mordicus apprehenſa, ſed regis nomen in ſpiræ medio deſcribebant. Quin etiam certam anguis ſpeciem μεισι cognominatam, huic ſignificato adhibebant. Cur vero *Anguem* fingerent ſibi caudam admordentem, auctores, quos ſequitur, nuſquam tradunt: ſed ſi ariolari licet, indicabat: omnia vſque ad minima vltimaq; curæ eſſe Regi, qui bonitatis nomen ſit adepturus, cum ea præcipue de cauſa Sardanapalus, & plerique alii infames habiti ſint: quod ſimul ac ad principatum venerunt, omni abiecta cura ſibimet tantum vacare, ſeque vnos curare inſtituerunt. *Idem Pier. Val. li. 15. p. 140. E.*

Quod ſi regem Ægyptii ſuum vel alium quempiam in obeliſcis aut monumentis aliis, curam populi ſui geſſiſſe regiam atteſtarentur, eamque tutelarem fuiſſe commonerent, *Anguem* vigilem, vertice quippe ſurrecto, elatoque pectore ſculpebant: cuiuſmodi ſpecies adhuc pleriſq; locis inſpicitur. Hic vero pro regio nomine, *Cuſtos*, inſcribebant: vtpote quod æque vigilantem eſſe deceat Regem, cui gentium regniq; tutela ſit curæ credita. *Idem ibid.*

Vide, Imperium, Magiſtratus, Monarchia, Princeps, *Regnum, Reſpublica.*

Rhetorica.

¶ DEFINITIONES ET ETYMOLOG.

RHetorica, Græce ῥητορικὴ, ῆς, ἡ, eſt vis & facultas percipiendi, inueniendiue quid in quaque re poſſit eſſe perſuaſibile: hoc nullius alterius artis opus eſt, quippe cum reliquæ facultates omnes, atque diſciplinæ vim ſuam docendi, perſuadendique circa vnam quampiam rem ſubiectam obtineant. *lib. 1. Rhetor. capit. Ariſt.*

¶ POETICAE SENTENTIAE.

Euripidis in Lycimnio de Hercule.

Φαῦλον, ἄκομψον, τὰ μέγισ᾽ ἀγαθὸν

Πᾶσαν ἐν ἔργῳ περιταμνόμενον σοφίαν,

Κἰς χηνὰ τρίβωνα.

Neglectum, inornatum, atque vt plurimum probum,

Re metientem, non verbis ſapientiam.

Sermone nunquam palliato, vt ſimplici.

¶ PHILOSOPHICÆ SENTENTIÆ.

Vis oratoris, profeſſioque ipſa bene dicendi, ſuſcipere &
ri videtur: vt in omni re, quæcunq; prope dixerim, potiſſ
quid erit in quaque quod probabile videri poſſit: elicere ſ
perdiſcere. *ibid.*

Tria habentur quibus omnis inſtitutio dicendi conti
primum inuenire oportet, quibus fides fiat: deinde concep
tataq; eloqui: poſtremo inuenta commode atque apte d
Lib. 3. Rhet. c. 1.

Vniuerſa inſtitutio dicendi ex opinione, oſtentatione
det. *ibid.*

Ars, quam Rhetoricam vocamus, ad Dialecticam reſ
bolem eius, & tanquam membrum quoddam adnaſcens. *L*
tor. c. 2.

Rhetorica non de omnibus præcipit, ſed de iis, quæ
tionem, conſultationemq; venire conſueuerunt. *ibid.*

De origine, fine, ac viribus Rhetoricæ.

Rhetoricæ primum in Sicilia Corax & Cteſias Syracuſ
Cicero, ſimul & procemiorum & epilogorum ac argum
quas Græci agonas vocant, repertores fuere. Inde A
giam Leontinum fluxit, cuius diſcipulum Iſocratem A
tunc æmulatus, ſcholis pomeridianis cœpit præcipere,
lud notum, αἰσχρὸν γὰρ σιωπᾶν, Ἰσοκράτην ἐᾶν λέγειν.
tempore Theodectes, poſt hos Hermagoras & Hermog
etiam de arte ſcripſit. Inde Rhodum per Æſchinem ex
uenit: poſtea deflorescentibus iam Athenis, Alexandriam
quanquam celebriore philoſophiæ ſtudio ea vrbs tene
mo Maſſiliæ per Antoniorum tempora cum huius fac
reliquarum artium ſtudia viguere. Apud noſtros vero
ceronis temporibus, maxime floruit per Apollonium
Cicero initium orandi conditoribus vrbium & legisla
buit: negatque ante Periclem quicquam in ea, quod o
buerit, reperiri. *Hæc ex Volaterrano.*

De orationis origine, deque eloquentiæ viribus.

Oris ſonus ab initio olim confuſus erat, qui tandem
voces diſcernens res omneis ſuo nomine appellauit. M
ſunt apud Ægyptios primum verba in ordinem redegiſſ
rebus impoſuiſſe nomina, fuiſſe quoque literarum in
thenis autem primum ſe orator extulit, primumque
mentis & literis oratio eſt cœpta mandari. Hæc vero
gina rerum: nam non modo inclinantem erigere, au
clinare, ſed etiam aduerſantem & repugnantem, vt
fortis & optimus, capere poteſt.

Eloquentiæ vis & finis.

Cum duæ ſummæ ſint in Oratore laudes: vna ſubti
tandi ad docendum: altera, grauiter agendi ad animos
permouendos, ipſius autem eloquentiæ tanta vis eſt,
rerum, virtutum, officiorum, omniſque naturæ, quæ
num, quæ animos, quæ vitam continet, originem, vim,
que teneat eadem mores, leges, iura deſcribat, remp. reg
que ad quamcunque rem pertineant, ornate copioſeque
loquentia probamus vera eſſe quæ defendimus: eloque
liamus nobis eos, qui audiunt: eloquentia eorum anim
cunque motum cauſa poſtulabit, vocamus. Ea apud Ro
floruit, vt nonnulli ex infima fortuna in ordinem ſena
que ad ſummos honores proceſſerint. Cæterum qui
pud animos hominum plus quam ordo & ornatus or
& vt terra cultu, ſic animus diſciplinis melior vberior
nec vnquam ſolida & robuſta fuerit eloquentia, niſi mu
res acceperit, &c.

Finis Rhetoricæ, vt Ariſtoteli placet, non perſuadere,
bene dicere, & ea noſſe, quæ ſint ad rē perſuaſibilia vel
cinæ, non ſanitatem quærere, ſed bene mederi, & eo pro
quouſque fieri poterit. Cicero idem in arte ſentit aliis ve
nem, ait, his apte dicere atque appoſite, quæ faciunt ad p
dum.

Parem hanc viribus Dialecticæ Ariſtoteles facit, niſi q
ctior, hæc latior: ambarumq; nullius certe ſcientiæ, ſed co
quendam modum omnium noſſe. Aliarū quidem artiu
nulla inter ſe pugnantia ſyllogizat. Huius facultatis ma
vt ait Quintilianus, nec vlli veterum ſatis pertractata: q
rite ſectatus fuerit, vngues tondere, aut capillos repone
ſtimabit ad ſuam curam pertinere: quodq; mirum eum
tes iudiciū doctorum exquirant, hæc etiam imperitorum.
pter ex Demoſthenis ſententia: nulla huic rei magis qu

…feret, quæ corporis eloquentia putatur. Hac igitur vna vel … ſæpe dicendi famam quærunt: itaq; clamauit, ac dexteram … , multaq; voce, anhelitu, iactatione corporis contendunt. … adpectus reuocare, ferire caput, pedes terram incu… ad pullatum circulum facit. In his vero qui defecerit, vel … nihil ſcire putabitur. Quamobrem modeſtis tantum … edifcenda vt virtutis, cæteris vt arrogantiæ inſtrumen… …genda.

…idamus Lacedæmonius interrogatus an eſſet Pericle poten… reſpondit, Quamuis Pericles in bello ſit à me victus, ea tamen … pr æditus, vt cum de his ratiocinetur, non victus, ſed vi… appareat.

Eloquentia eſt cultura animi. Hæc vna eſt de ſummis virtutibus, … ac venerabilis, quæ rerum publicarum gubernatrix eſſe … quam M. Tullius primam artem appellat, quam Cor… Tacitus autumat cæteris aliarum artium ſtudiis eſſe ante… …dam: in qua præſidium ſimul & telum eſt, & quo pugnare … & niteſcere poſſimus: quæ flexanima, quæ omnium rerum … à luculentis ſcriptorib. nuncupatur: qua qui præditus eſt, … homines (vt ita dicam) Deus putatur: qua denique efficitur, vt … hominibus tanto præſtemus, quanto homines beſtiis ante…

Nihil cæteris naturæ dotibus à brutis animantibus ſeparamur: … quod & robore, & celeritate inferiores ſumus, aliiſque com… permultis. Verum inſita nobis vi quadam inuicem per… explicandiq; quæcunq; viſum fuerit ſimul belluinam vi… ſimul congregati, ciuitates condidimus, & leges in… & artes excudimus. *Iſocrat. ad Nicocl.*

Communis Mercurius κοινὸς ὁ Ἑρμῆς. *Initium Rhetoricæ.*

Initio cum eſſent recens nati homines, magnus inter hos, ac … animantia tumultus erat, perturbatioq; ſuper terram, pro… quod non poſſent inuicem vti ſeſe: nec enim vlla res interce… quæ illos conciliaret, verum qui potentiores erant, oppri… inferiores. Neq; ſatis erant idonei, vt reliquis animantibus … omnib. enim illis omni ex parte inferiores erant, aliaque … aliis vincebantur: veluti ab vniuerſo genere volucrum ce… vnde factum eſt, vt quod ait Homerus, Pigmæis accidere … id tum temporis paſſim à robuſtiorib. auib. paterentur … Rurſum, quantum ad vires attinebat, longe ſuperabantur … & ab apris, & aliis item compluribus: atq; hunc in mo… …lentio peribant. Iam vero, quo ad munitionem ornatumque … non coruis modo, verum etiam cochleis cedebant, neque … ex ipſo ſuppetebat, quod ad tuendam vitam erat opus: ita… quum ad eum modum interiret hominum genus, ac paulatim … Prometheus (vt ſemper eſt hominum ſtudioſus) orator … in cœlum, mortalium nomine: non ille quidem miſſus ab … enim id temporis legatos vllos erat cernere: ſed ipſe vltro… At Iupiter partim in gratiam Promethei, maxime qui iu… poſtulare videretur, partim negotio apud ſeſe conſiderato, filiũ … Mercurium iubet ad homines deſcendere, Rhetoricen ſecum … Edixit autem, vt eam mortalib. impertiret, non quem… Prometheus omnib. ex æquo, ſenſus, reliquaque cor… membra, perinde quaſi theatralem pecuniam diſpertiens, vt … ex æquo Rhetorices eſſent participes, non aliter quam ocu… manuum, ac pedum: ſed vt præſtantiſſimos quoſque genero… & indole pollentiſſima præditos deligeret, atque iis demum … hoc impertiret, vt pariter & ſuam ipſorum, & aliorum inco… …tatem tueri poſſent. Porro, poſteaquam Rhethorica iam ad … perueniſſet, quum negotium, quod habebant cum bellu… licebat effugere, tum vero deſierunt vndequaque … ſimultatem exercere, reperto commerciorum initio Di… de montibus, alii in aliam orbis partem iungebantur, prin… quidem ſub dio viuente: poſt autem vbi verbis inter ſe com… …caſſent, & ciuitatem condiderunt, ac diſtributi ſunt, non … quemadmodum antea, temere, verum in ordines plebis ac belli du… legibus tum principes, tum Reipublicæ ſtatum inſti… Diis munera cœperunt offerre, primitias auſpicantes ab o… Quib. nunc quoque vel maxime gaudere Deos conſenta… eſt: quandoquidem hac contigit, vt primum eſſe Deos co… …ſceremus. Hinc deinceps ita creuit homo, vt qui initio debilis … atque inualidus, poſtea in altum tolleretur, quique antea pro nihilo habitus, ac deſpectus erat, deinceps factus eſt omnium, quæ ſunt in terra, dominus: cui quib. vti liberet, ius eſſet, non alio propugnaculo ſibi parato, quam oratione. Atque hic nobis ſit fa… finis. *Hactenus Ariſtides. Extat conſimilis apud Platonem de Protagora.*

Rhetoricæ commoda.

Sed quib. honoribus, quave dignitate Rhetoricam, id eſt, eam, quam bene diſſerendi rationem appellant, proſequar, quum huic … iam dudum vos ipſi bonam & magnam laudis partem attri… Quantum enim apud cæteras artes valeat, etſi vobis omnibus, viri inſignes, notum eſſe arbitror, illud tamen aliarum ſcientiarum pace dicam, quod omnes veræ artes ac diſciplinæ ſine hac vna ieiunæ, & non ſatis ornatæ habeantur: efficit quoq;, vt de vnaquaq; ſcientiarum copioſe & ſubtiliter diſſeramus tantum vero noſtris temporib. apud nos lumen & dignitatem attulit, vt non ſatis docti habeantur, qui in hac vna ſaltem mediocriter eruditi non ſunt. Nonnihil etiam ad animorum vim rationemque attinet: quod facile videmus, ſi veterum exempla commemorare voluerimus quãplures omne ſtudium adhibuiſſe, vt in aliqua eius parte florerent. Audiuimus illos priſcos Oratores, Catones atque Gracchos, quorum eloquentia actum eſt, vt ea re ſummis honoribus & dignitatibus adaucti fuerint. Audiuimus alios, quorum eloquentia Imperio Romano profuit, Ciceronem imprimis, Craſſumque, Antonium, & alios quamplures: quibus tantum hodierno die debemus, quantum his, qui noſtris temporibus ſummam laudem & ornamentum attulerunt.

Quum mihi in mentem venit, quanta oratoriæ facultatis tum dignitas, tum vtilitas ſit, non poſſum non vehementer dolere, quod his noſtris temporibus nulla fere bonarum artium tam abiecta, atque contempta habeatur: nam etſi nonnullæ liberalium artium, vt Geometria vt Arithmetica, & quæ huius generis ſunt, omnino ab vſu ceciderunt, ne non multum eas ad humanitatem pertinere dicam, non ſumus tamen in illis tantam paſſi iacturam quantam in hac humanitatis artium præclariſſima, maximeque neceſſaria: nam in illis quidem ita integra ſubtiliſſimorum ſcriptorum opera vſque ad præſens extant, vt nihil ei deſit, qui proficere in eis deſideret, niſi ſtudium ac diligentia: in hac vero diſcendi copia quanto plures ſcriptorum elegantiſſimi libri à maiorib. noſtris, tam Latinis quam Græcis, relicti ſunt, tanto pauciores, vel potius nulli his perditis temporibus noſtris reperiuntur: quod ſiue negligentia omnium, ſiue eorum, qui docent, quique orationis copiam profitentur, ignorantia quadam aut perfidia factum ſit, vnuſquiſque per ſeipſum conſideret. Ego id exiſtimo, niſi Bettolini, Alani aliorumque huiuſmodi libros (neſcio an vtiles) tranſcribere ab his, qui docent, coacta eſſet poſteritas, aut loco harum nugarum bonorum opera inuenirentur, aut ſaltem auditores non imbuti his deliberationibus, nudos animos ad humanitatis doctrinas facilius applicarent, quibus nihil vnquam vtilius, nihil dignius homini à patre hominumque Deorumque tributum eſt: nam philoſophia quidem, qua omnes liberales artes continentur, ſi dicendi ſuauitate priuata ſit, omnem orationis grauitatem infringit, atq; concidit, totumq; ingenii ſuccum aſperitate imbibit nimia. Quod ſi omnes mutum eſſe, ſummũ incommodum arbitrantur (carere enim omni humanitate profecto videtur, qui loqui non poteſt) certe & male loqui: id vero ſummo incommodo humanitatiſque priuationi proximum eſt: quare poſſe temporibus, locis, perſonis, cauſis, ornate, diſtincte, copioſe atque prudenter orationem accommodare, quod huius artis officium eſt, non paruæ felicitatis exiſtimauerim: quantus vero honor, laus, dignitas, in eos, qui copiam dicendi adepti ſunt, confluat, quæ emolumenta, quæ commoda homines eloquentia conſequantur, nemo facile poterit explicare: nam & patriam fundare legibus, tutari conſiliis ſententiis ſuis amplificare diſertus poterit, & amicis præſidio, & ſuis ornamento futurus eſt: præterea inimicis timorem, hoſtibus terrorem incutiet: quod Macedonum Reges, quum clariſſimos oratores ab Athenienſibus peterent, vt facilius denudatam cuſtodibus vrbem opprimere poſſent, ita eſſe declararunt. Neq; nos terret, quod à nonnullis ignorantia dicitur, orationis copiam, quod nonnunquam obfuiſſet ciuitatibus, ab omni bene inſtituta Republica exterminandam videri, nec enim vllam artem inuenies, qua quibus cum verſamur detrimentum afferre non poſſimus. Quis ignorat, quanto facilius cæteris atque cautius ſalutem hominis medicus oppugnare poſſit? quis neſcit, iuriſconſultum acuta nimium interpretatione legum ſummum ius in ſummam iniuriam poſſe conuertere? at nemo eſt, qui aut legum ſcientiam, aut medicinæ doctrinam exterminet: tanto magis amplectuntur, quanto ciuitatum ægritudines eadem arte, qua illatæ ſunt, curari etiam ſolent. Præterea eloquentia expulſa (niſi mutus eſſe malis, quod omnem ſocietatem coniunctionemque hominum, totamq; Rempublicam funditus euertit) & in iudiciis, & in ſenatu, & apud populum nonnunquam dicendum eſt, vbi niſi dicendi copia valeas, à malis, & à loquacibus viris ſimul cum Republ. euertere. *Ex præfatione Trapezunt. in libros Rhetoricorum.*

Vtilitas eloquentiæ.

Non igitur obſunt Rebuſp. hæc dicendi ſtudia, ſed proſunt, non comprimunt, ſed conſtituunt: non euertunt, ſed erigunt: nam ſi nulla eſſent, nihilominus improbi peruerſique homines, ac tanto magis, quanto ſe tueri oratione boni non poſſent, rebus nocerent. Quare, vt non medicina, ſed perditi medici: vt non ius, ſed improbi iuriſconſulti expellendi ſunt: ſic nec eloquentia eiicienda videtur. Sed hi, quum diſerti ſint, improbi ſunt. Ac multo magis medicina & cæteris artibus eloquentia eſt retinenda: nam neque gubernari Reſpubl. ſine oratione poterit, nec improbos ciues arcebit, & à gubernaculis ciuitatis depellet: niſi vi eloquentiæ. Huius ergo tam præclariſſimæ rerum publicarum nutricis ſtudia tanto nobis ardentiore animo ſuſcipienda, illuſtrandaque videntur quan-

ter, quanto diutius iacuerunt: ſolet enim præclariſſimarum artium iactura, niſi quis citius ſuccurrat, non ſufferendas calamitates, & publicas, & priuatas, inuehere.

Sic iam vero domina, vt vos ſoletis dicere, eloquendi vis quam eſt præclara, quamq; diuina, quæ primum efficit, vt ea quæ ignoramus, diſcere, & ea, quæ ſcimus, alios docere poſſimus: deinde hac cohortamur, hac perſuademus, hac conſolamur afflictos, hac ducimus perterritos à timore, hac geſtientes comprimimus, hac cupiditates iracundiaſq; reſtinguimus: hęc nos iuris, legum, vrbium ſocietate deuinxit, hæc à vita immani & fera ſegregauit, &c. *Cicero de Natura Deorum.*

Quibus eſt ratio ac iudicium citum, ſed inefficax, ii loquaces eſſe poſſunt, eloquentes autem nullo modo. Eloquentiam voco abſolutam expreſſionem eorum, quæ mente conceptis, aptis atq; commodis verbis, quod poſitum eſt in perfecta cuiuſq; linguæ cognitione, tum connexione ſermonis congruenti, & rationibus appoſitis, quod eſt iudicii non ſolum acutiſſimi: ſed etiam ſolidi ac circumſpecti. Salluſtius de L. Catilina bene expreſſit, ſatis eloquentiæ, ſapientiæ parum: & multos videas facundos in narrando, in argumentis plane infantes: ſicut è contrario, expenſio hæc eorum, quæ dicenda ſunt, & circumſpectio illorum, quæ adiacent: loci, temporis, perſonarum, atque huiuſmodi tardiloquos ſæpe ac pauciloquos facit viros magni ingenii: Leues autem, & acutuli, quod nihil penſi habeant, quid profundant, verboſiſſimi ſunt. *Ludouic. Viues lib. 2. de Anima.*

¶ APOPHTHEGMATA.

Diogenes in caupona prandens, Demoſthenem forte prætereuntem inuitauit, vt accederet: id cum ille pudore recuſaret, Erubeſcis, inquit, Demoſthenes, cauponam ingredi? Atqui hic herus tuus quotidie verſatur. Innuit autem, Rhetores nihil aliud eſſe, quam populi mancipia, nec eſſe par, vt illic pudeat ſeruum populi videri, vbi populus aſſidue viuere. *Eraſ. lib. 8. apoph.*

Demoſthenes interrogatus, quid præſtare poſſet poſſeſſoribus ſuis Rhetorica? Homini, inquit, perdito præſentem poteſt ferre opem. *Stob.*

Iſocrates ſciſcitatus quid eſſet Rhetorica? Ex paruis, inquit, facere magna, ex magnis parua: Eſt enim hæc nonnulla Rhetorices pars: amplificare & extenuare, qua de re diligenter præcepit Fabius. Sed præſtigii genus eſt, quod reſpondit Iſocrates. Qui illud potius artis eſt, quæ magna ſunt ita tractare, vt auditori quoque magna videantur: & contra. *Eraſ. li. 8. apoph.*

Anonymus. Cuidam iactanti de arte Rhetorica, At per Geminos, inquit Lacon, ars niſi verum attigerit, nec eſt, nec vnquam erit. Notauit Rhetores, qui ſe profitentur veriſimilia dicere, licet vera non ſint. *Plut. in Lac.*

¶ SIMILITVDINES.

Plutarchi: Vt periculum ſit, ſi omnes in idem inclinent latus nauis, ſed aliis alio inflectentibus, nauis optime libratur: Sic ſeditio & diſſenſio inter Rhetores tutiorem reddit ſtatum ciuitatis. *in Moralibus.*

Vt ridiculus ſit cantor, qui rem grauem Lydiis efferat modis: Ita ridiculus, qui de aliis, aut recte viuendo verba faciens, rhetoricis laſciuiat flosculis. *in Moral.*

Vide Tit. Eloquentia, Oratio, Orator.

Rigor.

¶ DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Rigor, Græce ῥῖγος, εος, τὸ, & ῥίγιος, ȣ, ὁ, rigidus dicitur. Hebr. *Tſinnach,* à verbo Rabinico *Tſanan,* frigeſcere. Item, *kor,* à verbo eiuſdem ſoni, quod ſignificat effodit venas aquarum & *karah,* à verbo *karar,* frigidus fuit vehementer. Hinc κρύος frigus, quod & hebr. *kor,* dicitur, *Gen. 8. v. vlt.* Metaphorice vero, rigor eſt iuris exceſſus, vel auſteritas, qui quandoq; ſtatuitur ad terrorem aliorum. Rigor venit à rigeo, quod proprie eſt frigeo, & quoniam quæ frigent, horrent & dureſcunt, per metaphoram rigere & rigeſcere pro indurari, accipitur. Hinc rigor non modo pro frigore, ſed etiam pro duritie capitur & aſperitate.

¶ SENTENTIÆ HISTORICÆ.

Acerbis iudiciis vaſtantur magis ciuitates quam corriguntur. *Salluſt. ad Cæſar.*

Nocet priſcus rigor & nimia ſeueritas, cui iam pares non ſumus. *Tacit. 1. hiſt.*

Salutaris rigor vincit inanem ſpeciem clementiæ. *Am. Marcel. lib. 27.*

¶ ADAGIA.

Summum ius, ſumma iniuria.

Hoc eſt: Tum maxime diſceditur ab æquitate, quum maxime ſuperſtitioſe hæretur in legum literis.

Zu viel Recht / iſt Vnrecht.

Je mehr Geſetz / je weniger Recht.

Ad viuum reſecare.

M. Tull. lib. de Amicitia, ad viuum reſecare dixit, pro eo quod eſt, rem exactius quam ſat eſt, ac moroſius excutere.

Radit vſque ad cutem. ξυρεῖ ἐν χρῷ.

De eo dicebatur: qui nimium exacte videretur agere cum aliquo.

Ex ſyngrapha agere.

Pro eo quod eſt, rigide parumque ciuiliter, ſed velut ex obligatione. Cicero.

Ad libellam debere.

Qui pecuniam præſentem ac iuſti ponderis debet, ad libellam debere dicitur.

Cenſoria virgula.

Tritiſſimum eſt apud eruditos. Cenſoriam virgam appellare iudicandi authoritatem, præſertim cum ſupercilio.

Obtorto collo trahi.

Dicuntur, qui volentes nolentes ad aliquid adiguntur. Pro eodem dicitur: mente trahere.

Vide, Clementia, Grauitas, Ius, Iuſtitia.

Riſus.

¶ DEFINITIO ET ETYMOLOG.

Riſus, Græce γέλως, ωτος, ὁ, & γελάσιμος, ȣ, ὁ, riſibilis dicitur. Eſt autem riſus, vox confuſa lætitiæ, inſultationem immoderatæ hilaritate denuntians *ſecund. Caſſiodorum ſup. Pſal.*

Riſus, Hebr. *Tſecok. Gen. 21. 6.* à verbo *Tſacak;* & *Tſihek* riſit, deriſit, illuſit, bene & male exponitur, Item *Secok,* à verbo *Sacak,* ſubriſit, cachinnatus eſt. Inde ἐγχάζομαι derideo: & per radicis immiſſionem καγχάζω, cachinnor.

¶ LOCI BIBLICI.

Riſus pro delitiis, *Iac. 4. 9.* riſus impiorum maledictus, *Luc. 6. 25.* riſus Saræ vitioſus. *Gen. 18. 13.*

¶ POETICAE SENTENTIAE.

Ex Græcis Comicis.

Γελᾷ δ᾽ ὁ μωρὸς, κἄν τι μὴ γελοῖον ᾖ,

Ridet fatuus & nulla cauſa quum ſubeſt.

Γέλως ἄκαιρος ἐν βροτοῖς δεινὸν κακόν.

Malum graue eſt ridere non in tempore.

¶ PHILOSOPHICÆ SENTENTIÆ.

Ridet qui verberatur in ſede præcordiorum. *Ariſt. problem. ſect. 35. text. 6.*

Ridicula vſus habent in contradictionibus. *Idem rhet.*

Ridiculum aliquo pacto eſt peccatum & turpitudo ſine dolore minime noxia. *idem poetic. c. 1.*

Ridet ſolus homo, quia pellem habet valde tenuem & carnem valde ſubtilem, & tactum: Vnde quidam opinati ſunt quod ſi homo vulneretur in ſubaſcelaribus locis vbi mouetur paries, ridebit. *Alb. Magn. de anim. l. 13 tract. 1. c. 9.*

Riſibile eſt proprium hominis, non autem ridere: ideo etſi non ſemper ridet, habet tamen ſemper poteſtatem ridendi. *Idem in Porph.*

Riſibile proprium quidem hominis eſt, riſibilitas autem omni homini proprium. *Alb. Mag. in prædicab.*

Riſum cur minus retinere poſſumus, cum amicos noſtros & familiares videmus? quia volubilius quid clarius, atq; ſuſpenſionis, at beneuolentia, formæ huiuſmodi eſt, ergo merito tunc ad ridendum mouemur. *Ariſt. problem. ſect. 28. tex. 8.*

Riſum mouet ſi alæ tanguntur, & ſternutamentum ſi nares penne tentantur hominis, quia loca quædam venularum habemus, quib. refrigeratis, vel contra affectis venulæ ipſæ, vel humectantur, vel in ſpiritum ex humore diſſoluuntur, vt ſi quis ceruici venam premat, lætitia geſtiens concalefactio eſt, ſpiritum autem cum redundat foras mittimus vniuerſum. Sternutamenti quoq; ratio eadem eſt: cum enim penna mouemus & tepefacimus nares, humor in ſpiritum ſoluitur, quem mox redundantem expellimus. *Ibid. ſect. 35. tex. 8.*

Riſum cur multi putant ex liene oriri hoc argumento quod quibus lien ſcirrho, id eſt, tumore duro vitiatur, non perinde ſint ad ridendum comparati, vt qui ſunt incolumes, ſed ſint mæſtiores, ſed non proprie ac per ſe, ſed ex accidente riſus cauſa cenſendus eſt: quamdiu enim ſanus omnino fæculentum, & melancholicum ſuccum ex iecinore trahit: atque ita dum ſanguis purus, & defæcatus totum corpus cerebrumque inuadit, naturam ſimul, & animum non aliter, ac vinum delectat & exhilarat, & in tranquillam conſtitutionem traducit, & inde riſus excitatur. *Alex. Aphrod. probl. 1. tex. 136.*

Riſus maximarum rerum ſæpe momenta verſans triſtes ſoluit affectiones, animum ab intentione, à labore, à ſacietate ad inſpirationem & quietem traducit. *Dan. Barb. 3. rhet. c. 12.*

Ridiculi ſunt, qui cum ignorantes ſint, putantes eſſe quod non ſunt, cum debilitate & impotentia ſunt ad vltionem. *Plato in Phileb.*

Ridicula

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN